

riam esse censent, ut reas sit in conscientia obligatus ad poenam ipso jure impostam. Philippus Decius putat quod eadem ratione qua dicitur legem, quae continet sententiam a iudice ferendam non obligare in conscientia, eadem ratione sit dicendum idem de lege quae sententiam continet latam, etiam si reus sit damnatus. Quia in re apertissime deceptus est Philippus Decius, prout clarus ostendit in quarto principali argumento, ubi de hoc errore aliquid dicere oportebit. Et quia visum est illi idem per omnia esse de omni lege poenali dicendum, ne diceret nullam legem poenalem obligare in conscientia, in aliam extremam transiit sententiam, quae cum ista, velut ex diametro pugnat, dicens, omnem legem poenalem, si iusta sit, obligare in conscientia. Sed revera non miror quod sic erraverit, quia non fuit ille ita sapiens in his quae ad forum conscientiae spectant, sicut in his quae spectant ad forum contentiosum. Nam illa, quae ad solum forum conscientiae spectant, melius a Theologis intelliguntur, quam a iuris humani peritis, quibus potissimum convenit de his quae ad forum contentiosum pertinent, differere. Dicit adhuc aliam sententiam Philippus Decius in ultimis verbis quae supra citavi, in qua miserrime errat, & non advertens quid loquatur, sibi ipsi contradicit. Dicit enim quod lex quae poenam imponit, ratione poenae, non plus vel minus conscientiam adstringit. Ut aperte ostendam Philippum Decium in hac sententia errare, & sibi ipsi contradicere, ponamus ob oculos legem ultimam. C. Locati per quam prohibetur militibus res alienas conducere, quod si fecerint, ipso facto, sine ulla sententia cadant a militia. Haec lex, seclusa poena, obligat milites solum ad non conducendum res alienas, poena autem posita obligat ad cadendum a militia: ergo ratione poenae plus conscientiam adstringit. Et idem potest probari de quacunque lege poenali mixta, quae ultra id quod primo statuit, ad meliorem illius observationem, poenam aliquam contra illius transgressores decernit. Sed Philippus Decius ideo in hac sententia deceptus est, quia non consideravit legem poenalem, nisi circa id quod potissimum ab illa statuitur, pro cuius meliori observatione imponitur poena: & respectu illius verum est, quod lex poenalis (ut ipse ait) ratione poenae, non plus vel minus obligat. Sed de tali obligatione non erat quaestio apud Abbatem in capit. Canonum, de Constitutionibus, nec nos etiam de tali obligatione nunc differimus, quia de illa satis abunde in primo huius operis libro disputavimus. Nam de ea potestate & obligatione legis poenalis differimus, quae solum respicit poenam, & de illa loquitur glossa in cap. Fratrenitas, & Abbas in praedicto cap. Canonum. Et de tali obligatione falsum est (ut jam probavi) quod dicit Philippus Decius, legem poenalem, non plus vel minus obligare ratione poenae.

Obsecro te hic iterum candide lector, ut omnem humanum a te secludas affectum, ut ex his quae diximus libere censere valeas de intelligentia illius tam celebratae glossae in capitulo Fratrenitas. Nam si absque contentione desiderio, sed solo studio veritatis cognoscendae haec legisti, non dubito quin facile agnoscat famofam illam glossam, & a multis Jurisperitis valde celebratam tam vulneratam ab illis esse, ut juxta illorum intelligentiam multis medicis fuerit illi opus, ut salva consistere posset. Nullum autem remedium ad illius protectionem fuisset opus inquirere, si illam non dilacerasset, nec a suo sensu deflexissent, plus illam dicere cogentes, quam illa dicere voluit.

Tertio contra meam conclusionem quam in praecedenti capitulo asserui, argui potest, quod ex illa sequeretur

quod reus teneretur ad bibendum venenum, aut ad mortem sibi inferendam, aut ad manendum in carcere postea damnandus ad mortem, si lex aliqua latam sententiam continens, aliquam istarum poenarum statueret contra reum. Hoc autem est falsum, quia nemo unquam se ipsum nisi Deo praecipiente occidere debet, aut facere aliquid unde via naturali necessarium sit sequi mortem. Quod autem hoc ex mea conclusione necessario sequatur, ex eo forte aliquis probare contendet, quod ego universaliter & sine ulla restrictione dixi in mea conclusione, omnem legem poenalem quae sententiam continet a iure latam, obligare reum in conscientia ad poenam in illa statutam, quamvis non sit a iudice condemnatus ad illam. Ex qua universali sententia aperte colligi videtur, quod si aliqua talis lex statueretur, quae ipso jure obligaret reum ad bibendum venenum, ille teneretur ad bibendum illud. Hoc argumentum minimum mihi tribuit laborem, quoniam ex illis quae capite 3. huius secundum libri dixi, facillime illi responderi potest. Nulla lex humana, nullaque humanus iudex potest praecipere homini, quamvis morte dignissimo, ut seipsum quovis modo perimat. Solum Deus qui est Dominus vitae & mortis, & qui potest occidere & vivificare, potest etiam praecipere homini quamlibet iusto, ut se ipsum interimat. Nam Augustinus (ut supra retulimus) dicit Sansonem, divino Spiritu suggerente, se ipsum simul cum aliis interemisse. Homo autem, quia non tantam super alium hominem habet potestatem, ideo nullo modo potest hoc alii homini verbo, aut lege ab eo statuta praecipere. Et si hoc verbo, aut lege scripta praecipisset, peccaret, & praepcepto illius, quia iniustissimum esset, nullus deberet obedire, immo peccaret obediendo, & contra Deo reus mortis iudicaretur. Et ideo nunquam haec tenus, nisi forte apud barbaras & indomitas gentes, quae Deum non noverunt, data est lex, quae reum ad similes poenas obligaret: neque unquam lege decretum est, ut reus, quamvis sceleratissimus, & mille mortibus dignus, sit ipso jure ad similes poenas damnatus, sed semper committitur iudici, ut tales poenas sceleratis hominibus, quos juxta legum decreta dignos illos esse noverit, inferre procuret. Turcis hanc esse morem ferunt, ut is cui eorum Imperator supremus praepcepit se ipsum interficere, statim obtemperet putans, se nisi id fecerit, Imperialem Majestatem gravissime laesurum. Sed hoc forte ideo faciunt quia Regem suum, prout Persae faciunt, tamquam Deum adorant, & ideo illius tamquam Dei praepcepto contradicere nefas esse putant. De his tamen & aliis similibus gentium moribus, quoniam a lege divina & naturali ratione longissime abunt, dicit Dominus per Hieremiam Prophetam, cap. 10. *Juxta vias gentium nolite discurrere.* Quarto contra nostram principalem conclusionem arguitur, per hoc quod poena imponitur ad terrorem aliorum, ut dicitur in l. Aut facta, ff. de Poenis: ergo non statuitur propter ipsum delinquentem, & per consequens non obligat illum in foro conscientiae. Hoc argumento probare nititur Abbas in illo saepe dicto cap. Canonum, de constitutionibus, legem poenalem, quae sententiam a iudice ferendam continet, non obligare in conscientia. Et quia optime intellexi illud argumentum, si aliquid efficere valer, aequo probare de lege quae sententiam continet latam, cap. de illa quae solum sententiam continet a iudice ferendam, ideo decrevi illud mihi ipsi objicere, praesertim cum videam Philippum Decium propter hoc argumentum dicere, reum, licet jam sit condemnatus, non magis esse obligatum ad poenam ipso jure impostam, quam ad poenam a

iudice ferendam. Nam in illo cap. Canonum, num. 20. ponitur quintam conclusionem dicentem, quod poena quae imponitur a lege pro delicto in foro conscientiae non debetur, juxta sententiam glossae in cap. Fratrenitas 12. quaest. 2. Et ab hac generali conclusione refert, Abbatem excipere illam poenam, quae imponitur ipso jure, aut ipso facto. Quibus omnibus praeratis suam aperit sententiam his verbis dicens: Sed ista dicta non videntur procedere sine dubio stante conclusione supra dicta pro vera. Quia si non tenetur ad poenam, quae ratione delicti imponitur, pariter non debet teneri, licet poena ipso jure sit imposta, vel condemnatus sit: quia ratio quae potest considerari in conclusione, ut quis in conscientia ad poenam non obligetur, utique etiam militare videtur in praedictis casibus. Haec Philippus Decius. Ex quibus verbis aperte constat, illud sentire omnes leges poenales pares esse in potestate obligandi ad poenam. Et quod magis miror, nullum potuit in ipso reo discernere, si ve ille damnatus esset, si ve non. Itaque jam sibi persuaserat nullum esse inter leges poenales, quantum ad obligationem ad poenam, discernim. Et quia non ausus est dicere nullam legem poenalem obligare in conscientia ad poenam, ideo coactus fuit (ut jam in secundo argumento dixi) sentire omnem legem poenalem aequo obligare ad poenam in foro conscientiae. De hoc ultimo non est opus nunc repetere aliquid: quia jam in sine secundi argumenti principaliter aperte ostendi hujus delicti falsitatem. De primo autem quod ait, non esse majorem potestatem ad obligandum ad poenam in sententia lata, quam in sententia ferenda, nunc differere oportet, & rationem qua ad id dicendum motus est, examinare. Quia, inquit, ratio quae potest considerari in conclusione, ut quis in conscientia ad poenam non obligetur, utique etiam militare videtur in praedictis casibus. Philippus Decius aliorum omnium ingenia ad solum suam mensuram metiri volens, quod se assequi non posse perspexit, aliis esse profus impossibile dixit. Ille forte nullam aliam praeter illam quam Abbas adduxit rationem, agnovit, ad probandum legem poenalem, quae sententiam a iudice ferendam continet, non obligare in conscientia ad poenam. Et quia hanc vidit aequo probare de una lege, ac de alia, ideo ausus est dicere nullam esse rationem, quae probare valeat de una, & non de alia. Ob quam causam optime (ut censeo) aptari potest illi id quod quidam alteri negotii serviens elegantissime his verbis dixit:

*Noctua Phaebum visu non sustinet orbem.*  
*Hoc Jovis armigeri summi putat esse negatum.*  
*Sic genus exangue suis quod viribus impar*  
*Autumat, Hercules excellere deputat ausus.*

Sed opus est aliam rationem offerre, ut vel sic ostendam aliquid ab aliis posse inveniri, quod ille non invenit, & sic convincamus illum injuste egisse, quum ex sola sui ingenii mensura omnium aliorum ingenia dimensus est. Capite secundo huius secundi libri ego obtuli rationem, qua evidenter probavi legem poenalem, quae solum sententiam a iudice ferendam continet, non obligare in conscientia ad poenam ante iudicis sententiam. Illa autem ratio non idem probat de lege poenali, quae sententiam a iure latam continet, & inde convincitur magnum esse respectu obligationis ad poenam inter duas illas leges discernim. Est autem haec ratio: Omnis lex poenalis obligans reum ad poenam, explicat suis verbis reum esse obligatum ad illam. Nulla lex quae statuit poenam solum a iudice inferendam, exprimit reum esse obligatum ad poenam: ergo nulla lex quae statuit poenam a iudice inferendam, obligat reum ad ta-

lem poenam. Consequentia bonitas est notissima illi qui vel mediocriter Dialecticam novit: quia est in secunda figura in modo notissimo, videlicet Camestres. Major etiam est nota ex his quae in primo totius operis capite diximus, ubi ostendimus necessariam esse legis publicationem, ut illa obligare possit. At, quod illa suis verbis non exprimit, idem est, ac si in mente legislatoris mansisset, & non fuisset verbo, aut scripto publicatum. Minor etiam est nota ex contextu verborum: quia si lex illa aliquid in se verbum haberet, per quod ostenderet se obligare reum ad poenam sine iudicis sententia, tunc illa lex sententiam latam contineret, & non sententiam solum a iudice ferendam. Nullam enim est verbum in tali lege, per quod lex indicet se infligere poenam reo, aut praecipere illi, ut ipse illam poenam reddat. Et inde convincitur, ut reus non sit in conscientia obligatus ad illam, quia non tenetur nisi ad id quod sibi praecipitur, aut prohibetur. Et certe haec duo pugnant inter se, quod lex statuat poenam solum a iudice ferendam, & quod eadem lex obliget reum ad illam poenam. Haec autem tam evidens ratio nihil agere potest contra legem quae sententiam a iure latam continet. Nam huiusmodi lex semper aliqua verba continet, per quae aperte exprimit se infligere poenam reo, aut praecipere illi ut ipse talem reddat. Primum sit in omnibus legibus quae poenam excommunicationis, aut suspensionis, aut irregularitatis, ipso jure, aut ipso facto imponunt. Nam huiusmodi censurae secum trahunt executionem, prout specialiter definitum est de excommunicatione in cap. Pastoralis, de Appellationibus. Et idem etiam contingit in privationibus bonorum, quae ipso jure sunt per legem impostae, ut in crimine heresis, aut laesae majestatis. Quia in huiusmodi criminibus lex non expectat iudicem, ut privet reum bonis illius, sed ipsamet lex privat illum. Aliquando contingit, ut lex ipsa non infligat poenam, sed distinctissime praecipit reo, ut ipsemet reddat illam: & tunc sic praecipiendo, aperte ostendit se imponere obligationem ad poenam. De hac re sunt plurima exempla, quae si quis videre optat, legat caput sextum huius secundi libri, praesertim in tribus primis paragraphis, in quibus multa huiusmodi exempla proponuntur. Nunquam aliquid horum contingit in lege poenali quae sententiam non latam, sed solum a iudice ferendam continet. Et hinc sumitur evidens argumentum ad probandum non esse parem potestatem respectu obligationis ad poenam (ut Philippus Decius putavit) in utraque lege poenali. Alia ratio quam Abbas protulit ad probandum de una lege poenali, quod non obliget in conscientia, & quod altera obliget, nullius profus est valoris: & ideo ingenue fateor illam iuste a Philippo Decio reprehendi. Quia si illa aliquid efficere valer, perinde probat de una lege, ac de altera. Et ob hanc causam cogor illi respondere quatenus me impetere videtur, qui potestatem legis poenalis quae sententiam continet latam, tueri. Sic enim arguit Abbas. Poena imponitur ad terrorem aliorum, ut dicitur l. Aut facta, ff. de Poenis: sed si in foro conscientiae, quod est secretum & occultum, obligaret, alios terrore non posset: ergo poena non obligat in foro conscientiae. Consequentia ista inde videtur probari, quod cessante ratione legis, ipsa lex pariter cessare debet. Huic argumento respondet Philippus Decius in illo saepe citato cap. Canonum, numero 20. quod poena non solum imponitur ad terrorem aliorum, sed etiam ut delictum puniatur. Et ego intuper addo, quod neque ob illud solum imponitur poena, sed etiam ut delicta evitentur, & ut delinquens urgente poena respiciat, & vitae conditionem com-



licet inferre alium non teneri reddere illi. Hoc autem non posse ubique inferri, multis evidentibus exemplis demonstravi, & multo pluribus demonstrare potuissem: & inde apertissime convincitur priorem illam consequentiam esse malam. Et ex his omnibus (ut ad priorem & præcipuam argumentationem revertamur) etiam convincitur in illo capite Cum secundum leges, §. Confiscationis, non concedi hæretico bonorum suorum possessionem, quousque sit per judicem competentem de crimine hæresis damnatus. Quia licet illic præcipiatur, ut fisco non possit bona hæretici capere antequam ille sit de crimine hæresis condemnatus, inde tamen (ut jam multis argumentis probavi) non sequitur, quod hæreticus possit retinere, & non teneatur illa reddere fisco. Cum igitur jam aperte ostendi in illo sæpe citato cap. Cum secundum leges, non concedi expresse, nec ex consequenti bonorum suorum retentionem, usque ad sui criminis damnationem, oportet ut qui talem retentionem justam esse dicunt, aliam legem ostendant, quæ apertius illam bonorum retentionem concedat hæretico, aut cuivis alteri, qui fuerit propter aliquod crimen suis bonis ipso jure privatus. Et si talem mihi ostenderint, ex nunc promitto me canturum palinodiam. Si autem ipsi nullam talem legem proferre possunt, ratio evidens cogit eos, ut in meam se transferant sententiam, nisi adeo indurati sint, ut obstinato animo velint sine ulla ratione tueri suam. Quidam juris civilis peritus, & mihi antiquo amicitia hædæ conjunctus, videns sententiam meam, quam de hac re in libro secundo de Justa hæreticorum punitione, cap. 6. protuleram, mihi per litteras (longe enim à me distabat) scripsit, non placere illi meam illam sententiam: & postquam ego illi rescripsi, petens ut mihi legem aliquam proferret, quæ suorum bonorum possessionem hæretico concederet, quousque ille esset de crimine hæresis damnatus, quia in illo cap. Cum secundum leges, ego aperte probabam illud expresse non concedi: his visis, ille post diutinum studium, & longam hujus rei inquisitionem, rescripsit mihi non esse necessarium, ut hoc expresse hæretico concedatur, sed satis esse, quod cum ille ante crimen commissum, habuerit dominium & possessionem bonorum suorum, & post crimen commissum ante sententiam à judice datam, jus non privet illum nisi solo dominio & non possessione, videbatur illi inde convinci, quod hæreticus usque ad datam sententiam maneat in possessione bonorum suorum. Huic responsioni nihil per litteras objeci, qui videbam commode id me facere non posse, hoc tantum rescripsi, dicta illius, quamvis amicissimi & doctissimi viri essent, nihil me movere, & me illi non per secretas litteras, sed per publicam scripturam impressioni mandatam citissime respondurum. Fateor quidem hæreticum esse in possessione, & ideo non fuit opus tot illum amicium meum hinc inde citare leges & Doctorum testimonia, ut probaret hæreticum, antequam sit de suo crimine damnatus, habere suorum bonorum possessionem. Non enim sum tam hebetis ingenii, ut hoc non agnoscam: nec tam effrons & induratus, ut hoc negare audeam. An justam ille habeat possessionem est questio, & non an habeat nudam possessionem. Nam etiam postquam fuerit declaratum per judicem illum esse hæreticum, immo etiam postquam judex illum expresse condemnasset ad privationem bonorum, adhuc hæreticus haberet possessionem bonorum suorum, quamvis non justam; quousque fisco illa caperet. Quia est fisco post datam à judice sententiam, statim illud habet jus ad apprehendendum bona & capiendum illorum possessionem,

non tamen statim sine ulla mora capit bonorum possessionem, quia non statim apprehendit illa. Et generaliter loquendo omnis malæ fidei possessor rem possidet: quia nisi possideret, nec bonæ nec malæ fidei possessor diceretur. Hoc igitur solum inquirimus, an juste possideat bona sua hæreticus, aut quicumque alius, qui propter crimen suum est bonis suis à jure privatus. Et ego sentio illum injuste possidere, quia nulla lex expresse concedit illi, ut possit bona, quæ jam non sunt sua, retinere: & hoc in proxime sequenti cap. Deo favente, multo apertius probabo in responsione quarti argumenti, quod contra me objecit idem amicus. Quod autem ille dicit non esse necessarium ut hoc illi expresse concedatur, falsum esse convincitur per regulam supra citatam ex Clement. Exivi de paradyso, quæ sic ait: Ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum. Sed retinere alienum invito domino est hæretico perinde ac aliis omnibus generaliter prohibendum: ergo nisi sit illi aliquid in hac parte expresse concessum, intelligitur denegatum. Secundum quod ait jus privasse hæreticum solo dominio & non possessione, si intelligat de nuda possessione sive justa, sive injusta, verum est quod ait: sed ego (ut dixi) de tali possessione non contendo. Si vero intelligat de possessione justa, falsum est quod ait: quia eo ipso, quod privatus est dominio bonorum, privatus est justa possessione illorum, ita ut licet possideat, non tamen juste post talem privationem dominii. Nam (ut dicitur regula juris in C. 6.) cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo. Post crimen hæresis pertinaciter commissum ab hæretico, jus prohibet illum esse dominum bonorum suorum: ergo prohibet etiam justum esse, ut ille bona sua possideat. Quia sicut ex dominio bonorum aliquorum sequitur justam esse illorum possessionem, ita ex privatione dominii sequitur privatio justæ possessionis, nisi alicui sit specialiter aliud concessum.

Secundo principali argumento, probo eum qui à jure propter aliquod crimen privatus est bonis suis, teneri in conscientia reddere illa fisco, cui ab ipso jure ad judicem sunt, etiam antequam sit de suo crimine damnatus à judice. Si judex definitiva sententia declararet illum commississe crimen, propter quod est ipso jure suis bonis privatus, statim sine ulla condemnatione teneretur in conscientia reddere bona sua fisco, cui ipso jure est traditum illorum bonorum dominium: ergo ante talem sententiam criminis declarativam, tenetur in conscientia reddere illa fisco. Assumptum est ab omnibus, præterquam ab uno Cajetano concessum. Omnes enim præter Cajetanum fatentur solam sententiam criminis declarativam esse satis ad executionem sententiæ à jure lata. Cajetanus autem (ut jam alias dixi) censet illam sententiam non esse satis, sed esse insuper necessariam judicis sententiam, quæ reum damnet ad penam. Sed hæc illius opinio aperte convincitur per illud capit. Cum secundum leges, in paragrapho, Confiscationis, ubi Papa ad executionem confiscationis, sive ad occupationem bonorum hæretici, non dicit esse necessarium promulgari sententiam de pena, sed solum de crimine, & hæc satis esse dicit, quia nihil amplius expectandum esse, præcipit. Consequentia hujus secundi principalis argumenti probatur per hoc, quod illa sententia criminis declarativa, nullam novam obligationem imponit hæretico: & inde evidentissime sequitur, quod si post datam talem sententiam est obligatus reddere, etiam ante illam sit obligatus: & si ante non est obligatus, nec etiam postea. Ut autem hoc apertissimum

faciã, interrogare oportet, quam ob causam præcipitur talem sententiam criminis declarativam dari ante apprehensionem bonorum, & quid illa operetur. Illa sententia non ob aliud dari præcipitur, nisi ut prius confet crimina esse commissum, & inde postea confet merito illi penam infligi. Et merito hoc ante bonorum apprehensionem fieri præcipitur, quia nisi ita decretum esset, forte fisco cupiditate ductus, sæpe fingeret crimen esse ubi crimen non est, & sic sæpe bona acciperet ab illis qui tali pœna essent profus indigni. Ne igitur tantæ cupiditati occasio aliqua præberetur, si liberum esset fisco bona apprehendere, quando ille confet, talem penam esse merito infligendam, non fisco, sed judici hoc commissum est, ut ille prius de crimine dicat sententiam, antequam fisco bona apprehendat. Alioqui ipse fisco esse simul actor & judex, quæ duo nulli simul jure competere possunt, ut dicitur in cap. Multi 2. q. 1. Ex his aperte convincitur, ut licet hæc sententia, quæ crimen declarat esse commissum, sit in foro contentioso, & in ordine ad fisco necessaria, non tamen in foro conscientie in ordine ad ipsum qui crimen commisit, propter quod est ipso jure suis bonis privatus. Hæc consequentia probatur, quia multo magis conitat suum crimen ante Judicis sententiam illi, qui illud commisit, quam aliis post datam sententiam: ergo propter illum non est necessaria sententia declarans crimen esse commissum, sed solum propter alios. Nec propter alios juxta sententiam Domini de sancto Geminiano est semper talis sententia necessaria. Quia (ut alias dixi) ille censet talem sententiam non esse necessariam, quando factum est notorium. Hoc ideo dixit, quia judicavit ad hoc tantum illam sententiam requiri, ut per illam esset manifestum crimen commissum: & cognovit posse alio modo aliquid esse manifestum, quam per sententiam: & ideo putavit idem fieri posse, si alio modo crimen esset manifestum, ac si manifestaretur per sententiam. In cap. Cum olim, de verborum significatione. Innocentius Papa III. declarat quid debeat dici manifestum, tres modos quibus id contingere possit, ostendit, sic dicens: Offensam illam nos rescribimus intelligere manifestam, quæ vel per confessionem, vel probationem legitime nota fuerit, aut evidentiæ rei, quæ nulla possit tergiversatione celari. Hæc ille. Glossa in illo cap. in verbo, confessioem, addit quartum modum, qui est per sententiam. Sed non erat opus addere illum, quia includitur in illo modo secundo, qui est per probationem legitime factam, quoniam sententiam sine probatione Judex ferre non posset. Si crimen est per aliquem aliorum duorum modorum manifestum, ut puta per confessionem, aut per facti evidentiã, aut per confessionem, solum cognoscantur per notitiam abstractivam, quæ habetur in absentia rei cognita. Quæ vero sunt nota per rei evidentiã, necessario oportet cognosci per notitiam intuitivam, quæ non nisi de re præsentî haberi potest: quoniam de re contingenti, quale est omne crimen quod committitur, non potest haberi evidentiã nisi per notitiam intuitivam. Præterea, circa ea quæ tantummodo sunt manifesta per sententiam aut confessionem, potest esse error aut deceptio. Quoniam Judex juxta allegatã & probatã judicans, potest decipi à testibus, qui aliter quam res se habebat, testati sunt, & ipse

deceptus, decipiet sua sententia alios, qui putabant ita rem se habere, ut ab illo declaratum est. Is etiam qui se deliquisse ore proprio confessus est, multo tormentorum, aut alia causâ urgente potuit fateri se fecisse quod nunquam fecerat, & sic auditores decipere. Circa illa vero quæ sunt per rei evidentiã manifesta, nullus decipi potest, alioqui non esset in illis rei evidentiã. Ex quibus omnibus convincitur verum esse id quod dixi, multo magis esse notum & manifestum id, quod per rei evidentiã cognoscitur, quam si cognosceretur per sententiam Judicis, aut per confessionem delinquentis. Et inde sequitur, ut si sententia Judicis, declarans crimen esse commissum, ad hoc solum sit necessaria, ut per illam de crimine confet, non sit necessaria talis sententia, quando crimen est per rei evidentiã manifestum, prout Dominicus docet, & illi consensit Felinus in cap. Canonum, de constitutionibus. Quia quod per rei evidentiã cognoscitur (ut jam probavi) multo magis constat, quam si cognosceretur per sententiam, Ponamus ergo, gratia exempli, Petrum hæreticum, qui coram fisco & aliis centum testibus obstinatissimo animo confet, & tunc hæresim manifestissimam, de qua nec rusticissimus homo dubitabit hæreticam esse. Ponamus illum dicere Christum non esse Deum, nec crucifixum, nec à mortuis resurrexisse, aut aliud simile aucte aperte hæreticum, ut præcedentia. Eorum eventum juxta Domini & Felini sententiam, fisco non expectata Judicis sententia, poterit bona Petri, illo invito, capere. Quia multo melius illi, & aliis videntibus & audientibus constat de crimine Petri, quam per solam sententiam constare poterat. Sed ista quæ ad fisco pertinent, propterea quod ad forum contentiosum spectant, ego nunc profus omitto: & ad ea solum quæ hæreticum in conscientia solummodo circa bona sua tangunt, disputationem reduco. Nam quod ille de bonis, quibus est ipso jure privatus, agere teneatur, non respicit forum contentiosum. Pro isto igitur dico non esse necessariam Judicis sententiam, ut ille bona olim sua reddere teneatur fisco. Quia ille melius noscit crimen suum, quam alii noscere poterant post sententiam à Judice datam: immo melius quam alii qui audierunt illum pertinaciter suam hæresim defendentem. Quia est illi qui audierunt, noscant per evidentiã illum constanter tales hæreses asseruisse, non tamen evidenter agnoscunt animum quo illas asseruit. Non enim possunt evidenter cognoscere, an ita intus in animo sentit, ut fors ore profert. Nam de illo Naaman leproso legimus, quod postquam septies lotus in aqua Jordanis, mundatus fuit à lepra, reversusque ad Hælisum, dixit illi: (4. Reg. 5.) Vere scio quod, non sit Deus in universa terra, nisi tantum in Israël. Et paucis interjectis, subdit: Non faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino. Hoc autem solum est, de quo deprecatur Dominum pro servo tuo. Quando ingreditur Dominus meus templam Remmon, ut adoret: & illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus pro hac re, Quæ dicit ei. Vade in pace. Si quis Judæus videret Naaman in templo sic adorantem, judicaret illum idololatram, putans illum interius idem sentire quod fors ostenderet videbatur. Qui autem sic de Naaman judicasset, deceptus fuisset: quoniam licet in templo idoli adorabat, non tamen idolum, sed verum Deum Israel adorabat. Alioqui non illi concessisset Hælisus in templo idoli adorare, si idolum adorare debuisset. Potuisset etiam nunc contingere, ut Petrus ob aliquam quamvis turpem causam hæresim aliquam vocet tantum constanter assereret, aliud animo sentiens, Quis



causam in lege non expressam, hoc tamen in illis solis casibus verum esse potest, qui poterant per conditionem illius definiti. Absurdum enim esset dicere, legem aliquam posse extendi ad casum, in quo legislator nullam prorsus habet potestatem. At capitulum, Cum secundum leges, conditum fuit à Papa Bonifacio, hujus nominis octavo, qui est circa res spirituales, aut mere ecclesiasticas potuit leges statuere, quæ omnes Christianos obligarent: tamen circa alias res mere laicas & mere seculares, quæ nullum ad rem Ecclesiasticam respectum habent, Papa non potest condere leges, quæ omnes obligent, sed illos solum, qui in oppidis, aut villis ejusdem Summi Pontificis vivunt. Potest quidem Papa prohibere Hispanorum aut Gallorum Reges, ne aliqua civili lege utantur; propterea quod constat, illam legi naturali aut divinæ contradicere, sed non potest illos ad aliquam civilem legem cogere, quæ non necessario ex lege divina, aut naturali deducatur. Sunt enim hæc duæ potestates, Pontificalis videlicet & Regalis, hæc ratione divisæ, quod altera in spiritualibus, altera in corporalibus præest, ut dicit ipse Summus Pontifex Innocentius tertius in cap. Solite de majoritate & obedientia. Ex his omnibus apertissime convincitur, quod licet capitulum, Cum secundum leges, in §. Confiscationi, possit ex identitate rationis ad omnia alia crimina extendi, propter quæ est omnium bonorum privatio ipso jure imposita, hoc solum esset verum in terris, quæ sunt, quoad temporalium administrationem summo Pontifici subjectæ, tamquam proprium illius patrimonium. In Hispania autem, & Gallia, & Germania, & in aliis Provinciis, in quibus Papa non habet temporale dominium, si quis committeret crimen læsæ majestatis, aut falsam euderet moneta, aut aliud simile committeret crimen, propter quod esset ipso jure bonis suis privatus, qua lege possit ille retinere bona sua? Non quidem auctoritate illius cap. Cum secundum leges, in §. Confiscationis: quia licet ex paritate rationis possit ad illa crimina extendi, non tamen in illis Provinciis prædictis. Quia in illis Provinciis circa prædicta crimina, eo quod non sunt Ecclesiastica, sed mere secularia, Papa (ut dixi) nullam prorsus habet potestatem. Cum igitur pro talibus Provinciis nulla sit hæcenus data lex, quæ illorum criminum patroribus expresse concedat licentiam retinendi ea bona, quibus sunt propter sua crimina ipso jure privati, convincitur inde, ut saltem in illis Provinciis, qui talia crimina commiserunt, teneantur in conscientia reddere illa fisco, cui ipso jure est illorum bonorum dominium adjudicatum. Quia quum in illis Provinciis non sit expresse concessa retentio illorum bonorum, oportet necessario, juxta regulam juris superius citatam, ut talis retentio bonorum intelligatur esse illis denegata. Non possum igitur non admirari, quum video tot illustres viros juris civilis interpretes sic fuisse in hac parte hallucinatos, ut sæpe testimonio hujus capituli, Cum secundum leges, usi sint ad probandum eos, qui propter alia crimina laica privati sunt à jure suis bonis, non teneri ad reddendum illa, antequam sint de suis criminibus per Judicem condemnati.

Sed ut fortius contra adversarios agam, & acrius eos urgeam, id quod de hæretico sola disputationis causa gratis concessi, nunc jam ut aperte ostendam illud sæpe citatum capitulum, Cum secundum leges, esse male ab adversariis intellectum, volo probare, non concedi per illud capitulum hæretico bonorum suorum retentionem, quousque sit à competenti Judice de crimine hæretici damnatus. Quia in illo §. Confiscationis, nihil aperte hæretico conce-

ditur, sed solum prohibetur fisco, ne bona hæretici capiat, antequam ille sit de crimine hæretici per competentem Judicem damnatus. Hoc solum est, quod in illo loco ad mitigandum hæreticorum poenam definitum est: quo dato, eo ipso conceditur solum illud, quod ex illa concessione sequitur in bona consequentia & necessaria. Nam sicut dicitur in bona consequentia & necessaria. Nam sicut dicitur in cap. Cum quid, de regulis juris lib. 6. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo: ita ex opposito, cum quid dispensative conceditur, conceduntur omnia quæ sequuntur ex illo. Sed in prohibitione alicujus non prohibentur ea, quæ aliquam habent viciniam cum re prohibita, sed illa solum, quæ sunt media ad affectionem illius, aut quæ necessaria consequentia sequuntur ex illa: ut illic bene annotat glossa. Ergo à contrario sensu in concessione alicujus rei illa solum intelliguntur concessa, quæ ex primo concessio sequuntur consequentia necessaria, aut illa quæ sunt media necessaria ad affectionem illius. Videamus ergo an ex hac concessione, quod videlicet fisco non possit capere bona hæretici, antequam ille sit de crimine hæretici per competentem Judicem damnatus, sequatur necessario, quod hæreticus non tenetur bona sua reddere fisco. Si confiterit talem consequentiam esse necessariam, statim cedam arenæ, & plene & candidè me victum fatebor. Si vero è contrario evidenter ostendero non esse talem, æquum esset, ut adversarii se victos faterentur, aut proferrent aliam legem, quæ apertius & expressius concesserit bonorum suorum retentionem illis, qui ipso jure privati sunt illis, quousque de suo crimine damnentur. Consequentiam autem illam non esse bonam & necessariam, tunc apertissime constabit; quando multas contra illam (ut verbis modernorum dialecticorum loquar) dederò instantias, vel (ut Jurisperiti loquuntur) fallentias. Primo quidem fallit appetit illa consequentia in illo qui furto subtrahit aliquid ab eo, apud quem ludus alearum exercetur, si eo tempore, quo ludores incumbant ludo, surripuit. Nam is à quo res subtrahitur est, non potest ab ipso fure capere rem furtivam, immo nec agere potest pro hujusmodi causa contra illum in judicio, ut dicitur in leg. 1. §. 1. ff. de aleæ lusu & aleatoribus. Neque hoc solum verum est ex jure communi, sed etiam ex particulari jure Hispaniarum, præsertim Regni Castellæ. Nam hoc idem statutum est apud Hispanos in parta septima, tit. 14. l. 6. Ex hoc tamen, quod dominus rei furtivæ non potest pro illa in judicio agere, non sequitur, quod fur non teneatur reddere rem furtivam domino illius. Quia quædam rem illam furto sublatam retinet, fur est censendus, nec absolvi potest, donec illam restituat, ut dicitur in cap. Si res, 14. quæst. 6. & in regula, peccatum, de regulis juris lib. 6. Sylvester de Prierio in sua summa de casibus conscientie, in titulo, Ludus, quæst. 9. fatetur illum, apud quem ludus exercebatur, quando res aliqua ab illo subtrahitur, non posse repetere à fure, nec habere rei persecutionem, nec actionem poenalem furri, & furem retinere non posse in conscientia rem sic furto sublatam: sed dicit non teneri ad restituendum illi à quo surripuit, sed ad dandum pauperibus. Quia lex (ut ille ait) in poenam sui delicti privat illum tali re. Sed in hoc ultimo maxime fallitur, quia lex non privat illum dominio rei furtivæ, sed sola actione ad petendum eam. Quod ut legenti clarius pateat, verba legis citare decrevi, quæ talia sunt, Prætor ait. Si quis eum, apud quem in alea lusum esse dicitur, verberaverit, damnatumve ei dederit, sive quid eo tempore dolo ejus subtrahatur est, judicium non dabo. Hæcenus verba legis, in quibus aperte constat solum actionem tolli, & non domi-

nium:

nium: & inde sequitur, quod talis fur tenetur illi restituere.

Secundo deficit illius consequentiæ virtus in casu illius legis, si quis ad se fundum, C. Ad legem Juliam, de vi publica atque privata. Nam licet Petrus agrum aliquem à Joanne possessum vere agnoscat esse suum (ut est casus illius legis) non poterit auctoritate sua talem agrum capere, antequam sit per Judicem declaratum, talem agrum ad illum pertinere. Verum est Petrus per se capere non possit agrum injuste possessum à Joanne; inde tamen non sequitur, quod Joannes non tenetur reddere agrum Petro, si illi constat agrum illum esse Petri. Quidam Jurisperitus, eum quo rem hanc conferebam, respondit mihi casum hunc esse valde dissimilem illi rei, de qua est nostra principalis disputatio. Quia in casu isto Joannes, qui agrum Petri tenet, fuit semper male fidei possessor, & ideo quamvis Petrus non capiat, Joannes obligatur in conscientia ad reddendum Petro. Hæreticus autem, aut quisvis alius suis bonis ipso jure privatus, antequam commisset crimen, vere & juste possidebat bona illa, & ideo post crimen commissum potest retinere illorum bonorum possessionem, quousque à Judice sit illa privatus. Sed hanc evasionem nullius esse momenti apertissime ostendero, si ponam Joannem fuisse illius agrum dominum, & vendidisse illum justo pretio Petro, integramque pretii pecuniam recepisse à Petro, sed post receptum pretium Joannem noluisse tradere agri possessionem Petro. Ecce omnia similia inter Joannem retinentem agrum & hæreticum retinentem bona. Nam sicut hæreticus, aut is qui commisit crimen læsæ majestatis, erat dominus bonorum suorum ante crimen commissum, & juste possidebat illa, ita Joannes ante venditionem agri erat dominus illius, & juste illum possidebat. Sicut hæreticus post crimen commissum amisit dominium bonorum suorum, ita Joannes post factam venditionem agri reliquit dominium illius. Sicut ab hæretico non potest capere fisco bona illius, antequam sit illius crimen declaratum, per dicta, in §. Confiscationis; ita à Joanne non potest Petrus capere agrum, donec Judex declaraverit Joannem vendidisse Petro agrum, receptisque ab eo integrum illius pretium, prout definitur in dicta lege. Si quis ad se fundum. Histamen omnibus sic ex æquo dispositis, constat Joannem obligari in conscientia ad reddendum Petro agri possessionem, pro quo integrum pretium recepit. Ergo eodem modo hæreticus, & quisvis alius suis bonis ipso jure privatus, tenetur bona sua reddere fisco, cui per legem adjudicata sunt, quamvis fisco non possit sine Judicis sententia illa capere. Quia (ut jam aperte probavi) ex hoc quod fisco non potest capere; non sequitur necessario, quod alius non tenetur reddere illi, qui jam assensus est illorum bonorum dominium. Et idem potest esse exemplum, si Franciscus habens in toto suo patrimonio mille aureos ducatos, & non amplius, reliquisset hæredem suum Joannem, legassetque Petro in testamento decem aureos ducatos: Joannes tunc omnes mille ducatos possidebit post mortem Francisci, & (quod multo magis est) omnium illorum statim habebit dominium, quamvis sub hoc onere, quod obligatur decem reddere Petro. Quia est tenetur reddere decem, non tamen hos aut illos decem, sed quos ille maluerit, est etiam alius mutuo acceptus ducatis ille solvere vellet. Petro decem ducatos, Joannes liberabitur illo modo ab illa obligatione legati, nisi testator aliqua ratione motus, aperte expressisset dari Petro decem ducatos ex illis, quos ille reliquit, & non de aliis. Quia igitur Joannes hæres ex illis mille ducatis sibi relictis non

tenetur magis dare Petro hos decem ducatos, quam alios decem; convincitur inde, Joannem esse verum dominum illorum omnium mille ducatorum, quamvis hanc super se habeat obligationem, quod tenetur (ut dixi) dare ex illis decem, quos ille maluerit. In hoc casu Petrus propria auctoritate non potest capere à Joanne decem ducatos sibi in testamento legatos, nec tamen inde sequitur, quod Joannes non tenetur reddere illos Petro. Quia est Petrus non capiat illos, nec petat; tenetur tamen Joannes reddere illi, quia tenetur satisfacere testatoris voluntati, quia absolute præcepit hæredi, ut redderet decem ducatos Petro, & non sub conditione si ille peterit.

Tertio constat illam prædictam consequentiam non valere in casu quo Petrus emisit à Joanne aliquam rem minus justo pretio, non tamen infra dimidium justii pretii, sed ultra: ita tamen quod non parum fuerit Joannes ex tali venditione læsus. Petrus autem qui emit, est à principio bonam fidem habuerit, putans se justo pretio emisit, & in nihilo nocuisse Joanni, postea tamen aperte cognovit se non parum fraudasse Joannem in pretio. Si hæc accidissent, prout frequenter accidere solent, Joannes non possit propria auctoritate capere, immo nec coram Judice petere, ut Petrus illi satisfaciat de danno: quia hoc est illi prohibitum in leg. In causæ, §. Item Pomponius, ff. de minoribus, & leg. 2. C. de rescindenda venditione. Ex hoc tamen quod Joannes capere, aut petere non potest, non sequitur quod Petrus non teneatur reddere Joanni omne illud in quo fuit fraudatus. Quoniam lex divina omnem talem fraudem, per quam à justo pretio receditur, prohibet & damnat. Nam Paulus Thesalonicensibus scribens, (2. Thess. 4.) ait: *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis et significavi sumus.* Ex quibus Pauli verbis clarissime convincitur, omnes illas leges, quæ contrahentibus permittunt se invicem decipere, ut in prædicta leg. In causæ, §. penult. & in leg. Item si in pretio, in fine, ff. locati, nihil prorsus valere in foro conscientie, quia aperte contradicunt legi divinæ. Valent tamen in foro contentioso quoad hoc, ut non rescindatur contractus emptionis & venditionis, præsertim si deceptio non transeat ultra dimidium justii pretii. Valent etiam illæ leges, ad hoc ut per illas tollatur actio ab eo, qui infra dimidium justii pretii deceptus est, ne possit agere contra deceptorem, ut reddat illi id, quod ex justo pretio ademit. Philippus Decius in cap. Canonum, de Constitutionibus, licet hoc aperte fateretur, Calderinum tamen sequutus, dicit verum esse, illas leges, quæ deceptionem mutuum permittunt, non obligare in conscientia, quando quis ex industria alium decipit. Si tamen non ex industria, sed præter intentionem in se ipsa decepterit, dicit deceptientem esse tutum in conscientia: quia hoc (ut ait) permittitur ex jure canonico, quod non permitteretur, si peccatum esset. Sed maxime fallitur in hoc ultimo Philippus Decius, & quem ille sequutus est Calderinus. Quia est ille, qui non ex industria, sed præter intentionem se ipsa decipit, non peccaverit propter deceptionis ignorantiam que illum excusat, tamen postquam plene agnovit alium esse ab illo in pretio fraudatum, tenetur illi satisfacere de injustitia, quam erga illum exercuit, quum id quod majoris pretii erat, emit ab illo pro minori: aut quod minoris pretii juste estimandum erat, multo majori vendidit pretio, & si non restituerit postquam cognovit se damnatum intulisse, peccabit: quia jam cessat ignorantia, quæ illum ante excusabat. Simile enim contingit illi, qui bona fide & justo titulo, ut-  
puta



puta jure hereditario capite alienum, putans esse suum, & jure hereditario ad eum pertinere. Nam hic est propter ignorantiam excusetur a peccato alienum capiendo & retinendo, tamen cum primam illi constitit esse alienum, peccabit si voluntate firma illud retinuerit. Quod autem is qui praeter intentionem fraudavit in pretio alium, peccet, postquam cognovit se decessisse, si non satisfecerit de damno quod alteri intulit, aperte probatur per illa Pauli verba, quae nunc proxime citavimus. *Ne quis* (inquit ille 1. Thef. 4.) *supergradiatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum.* Quae verba interpretans Anselmus in Commentariis super Paulum, ait: Supergratio est, ubi pro minore pretio illud quod majoris pretii est, elicitur. Circumventio autem, ubi per dolum frater in ipsa venditione vel emptione decipitur. Haec Anselmus. Ex quibus constat, utramque pretii inaequalitatem esse a Paulo interdictam, sive ex industria illa fiat, sive praeter intentionem. Et utramque esse peccatum aperte convincitur per id quod Paulus statim subjungit, dicens: *Quoniam vindex est Dominus de omnibus his.* Nisi enim utraque esset peccatum, Dominus de illis non vindicaret. Quod autem Philippus Decius dicit deceptionem illam quae fit infra dimidium justii pretii esse ex jure canonico contrahentibus permissam, non ita est. Quia licet jus canonicum illi soli qui ultra dimidium justii pretii deceptus est, per sufficiens remedium subveniat, aliis tamen qui infra dimidium justii pretii decepti sunt, non praecipit, ut damnum sibi illatum deceptoribus remittant, nec decipientibus permittit, ut sic decipere possint; nisi forte dicas permittere pro quo nullam admittit in judicio actionem. Sed haec permissio nullam tribuit conscientiae securitatem, sed solum imponit litibus terminum, quoniam nisi id fieret, innumerae quotidie lites orirentur. Quam sic litibus obviat, nihil hac ratione decipienti concedit, sed illum suae conscientiae relinquit, non quidem ut libere quod voluerit agat, sed ut juxta divinam legem operetur, a Deo solo & non jam ab hominibus in hac parte judicandus. Tenetur ergo sic decipiens reddere id, in quo a justo pretio defecit, quamvis deceptus non possit pro hac re contra illum in judicio agere.

Quarto ostendo illius praedictae conscientiae malitiam in casu praescriptionis, quae bona fide incepit, sed postea desinit in malam fidem, non tamen publice notam. Et, quo res sit manifestior, ponamus Petrum bona fide & justo titulo, ut puta jure hereditario possidisse rem aliquam praescripibilem, & antequam finiretur legitimum praescriptionis tempus, cognovisse rem illam non esse suam, sed Joannis, qui etsi sciebat rem illam esse suam, neglexit illam petere quousque legitimum praescriptionis tempus jam fuerat elapsam. In hac rerum contingentia Joannes non potest per se capere, nec in judicio agere contra Petrum, pro re illa recuperanda; quia per legitimum praescriptionis tempus, quod est jam praeteritum, repellitur ab actione, quam contra Petrum juste habere poterat, praesertim cum non possit probare malam fidem, quam ante finitum praescriptionis tempus Petrus habuit. Sed numquid ex hoc quod Joannes non potest capere rem illam, licet inde inferre quod Petrus non tenetur in conscientia reddere illam Joanni? Absit, quia etsi Joannes nec per se illam capere, nec petere in judicio possit, Petrus tamen salva conscientia illam retinere non potest, sed tenetur illam reddere Joanni. Nam mala fide interveniente, antequam sit finitum legitimum praescriptionis tempus (ut dicitur in cap. fin. de Praescript.) nullus praescribere potest. Et in reg.

Possessor, de Reg. juris, lib. 6. dicitur, quod possessor male fidei ullo tempore non praescribit. Simile exemplum potest dari ad ostendam illius primae consequentiae malitiam, de illo, qui propter defectum probationum excedit a causa, & sic victus est in judicio, ut causa illa jam transierit in rem judicatam, & non possit iterum ad litem revocari. Ut si gratia exempli, Petrus cum Joanne contendat de alicujus agri possessione, quem dicit injuste a Joanne possideri, & uterque credat se justam causam agere: sed Petrus, qui vere justam causam habebat, deficientibus sibi necessariis probationibus, ultimo sic damnatus est, ut causa transierit in rem judicatam. Post modicum vero tempus elapsam tam sufficientes probationes oblatae sunt Petro, ut si illas ante rem judicatam protulisset in judicio, sine ulla contradictione iudex pro illo sententiam dixisset. In hoc rerum eventu, qui frequenter contingere solet, Petrus nec agrum per se capere, nec pro illo in judicio contendere potest, quia transiit in rem judicatam. Neque est hoc imputandum iudici, sed ipsi Petro, quia ea quae ad suam causam positivam pertinebant, coram iudice non protulit, quando proferre debuerat. Iudex autem non potest rem ultima sententia definitiva judicatum ad iudicium admittere, etiam si instrumenta nova offerat victus, ob quorum defectum fuit condemnatus, ut dicitur in l. Impera. ff. de Re judicata: nisi enim mandatum esset, lites quantumlibet mortuae reviviscerent, & sic nullus esset litibus finis. Neque obstat quod dicitur in l. Admonendi, ff. de Jurejur. Quia illic solum tractatur de sententia data in re dubia, propter solum alterius partis juramentum. Tunc enim si per instrumenta postea reperta constat juramentum fuisse falsum, retractatur sententia. In aliis vero negotiis, nisi illa ad rem publicam pertinerent, numquam propter instrumenta postmodum reperta, revocatur sententia ultimo definita. Et ita in casu nostro Petrus, licet nova instrumenta reperisset se dicat, non poterit ad agri recuperationem agere contra Joannem in judicio. Joannes autem qui sententiam pro se bona fide obtinuit, tenetur in conscientia reddere agrum Petro, postquam illi nota fuerint integrae probationes, quae aperte convincunt illum agrum esse Petri. Quia etsi iudex pro Joanne sententiam dedit, sententia illa ab errore processit, quod iudex putavit non esse alias probationes, quae Petro favere possent, nisi illas quas Petrus pro se obtulerat in judicio; & ideo secundum illas solas judicavit, qui si illas, quae nunc prodierunt in lucem, tunc vidisset, pro Petro contra Joannem sententiam, haud dubie protulisset. Hoc igitur nunc agnoscens, Joannes non potest salva conscientia retinere agrum, quem perfecte noscit non esse suum, sed tenetur illud reddere Petro, quamvis Petrus (ut dixi) nec illum capere, nec pro illo in judicio contendere potest. Quia iudicis sententia non privavit Petrum dominio agri, quod vere habebat, cum sine culpa Petri quam suppono nullam intervenisse, iudex id facere non poterat, sed solum declaravit illum esse Joannis. Nec de hac re mota fuerat coram iudice quaestio: nec Joannes hoc a iudice petebat, ut Petrum pro crimine commissi, privaret dominio agri, & sibi adjudicaret: sed hoc solum a iudice petebat, ut declararet agrum ad se, & non ad Petrum pertinere. Ergo Joannes, qui jam plene novit iudicem fuisse deceptum, teneretur illam reddere Petro, cuius esse jam nunc plene cognoscit.

Quinto adhuc apertissime ostendo fallere illam praedictam consequentiam in casu cuiusdam legis Regni Castellae conditae a Carolo quinto hujus nominis Caesare, Hispan.

paniarumque Rege ejusdem nominis primo, in Comitibus ab eo habitis apud Madritum, anno Domini 1528. Nam illic Regni totius Procuratores convenientes in unum congregerunt, quod saepe contingebat, ut famuli, qui dominis serviebant, accepto sui servitii praemio a dominis recedebant, & post aliquot annos iterum solutionem sui servitii petebant, hac confidentia quod domini erant obliti datae solutionis, aut si recordabantur, non poterant probare solutionem datam: & ob hanc causam saepe dominis eorum defunctis, petebant ab haeredibus sui servitii solutionem, quam a dominis defunctis jam acceperant, & sic praemium jam semel illis solutum, iterum solvere saepe cogebant. Ne igitur hac iterum evenirent, omnes Regni Procuratores in unum convenientes, in praedictis comitiis supplicarunt Regi, qui simul erat Caesar, ut tam insolentibus & prociacibus famulorum petitionibus, per legem ab eo datam occurreret. Rex eorum supplicationibus, quas justas esse intellexit, acquiescens, legem statuit, quae habebatur inter alias illic conditas, in ordine 157. sub hoc verborum contextu.

Praecipimus, ut omnes famuli, qui ministraverint quibuscumque personis istorum nostrorum Regnorum obligentur petere id, quod praeterierit eis deberi de salario, aut stipendio, de quo cum dominis suis conveniant pro suo ministerio, intra tres annos, a die quo a dominis suis recesserunt, computandos. Quibus elapsis, non poterunt aliquid ea ratione a dominis petere, nisi ostenderit se intra illos tres annos petivisse ab illis, quod sibi ratione servitii debebant, & dominos non solvisse, nec satisfecisse illis. Haec tenus verba legis. Juxta hujus legis dispositionem, ponamus Petrum ministrum Francisci, recessisse a domo & ministerio illius, sine solutione debita, & tres annos transisse absque hoc quod Petrus solutionem petierit. His ita contingentibus, constat Petrum non posse capere aliquid pro praemio sui ministerii, immo nec illud potest petere in judicio. Sed numquid inde necessario sequitur, quod Franciscus salva conscientia potest retinere praemium quod illi debebat? Absit, quia licet Petrus post illos tres annos non possit petere a Francisco praemium, non tamen amittit debitum quod antea illi debebatur. Lex enim (ut ex illius verbis quae modo citavimus constat) solum privat illum actione ad petendum, & non dominio rei sibi debite. Nam lex privans famulum actione illa, non dicit dominum esse liberum a debito. Si dominus non est liber a debito, sed adhuc post tres annos elapsos est debitor: ergo licet Petrus olim famulus illius non possit post tres annos transactos petere, Franciscus tamen dominus illius tenetur in conscientia reddere Petro praemium sui beneficii, quod adhuc illi debet. Quia nisi qui reddat quod debet, si potest mater in peccato & salvus sic esse non potest. Nam Paulus ad Romanos scribens, ait: *Reddite omnibus debita.* Et paucis interpositis, iterum ait: *Neminis quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Praeterea, ex ipsa dominorum petitione, constat ipsos post tres annos elapsos non esse liberos a debito, quamvis sint liberi a molestia & fraude petitionis: quoniam lex non plus, immo minus concessit eis quam illi petierunt. Procuratores autem, ut ex petitione illorum constat, hoc solum petierunt, ut provideretur aliquo modo ne per elapsum longum tempus obligatione pressi, cogerentur domini bis solvere ministris suis. Non tamen petierunt ut modus daretur, quo ipsi liberarentur a debito, & non tenerentur solvere quod debebant famulis suis. Juxta petitionem illorum Rex statuit legem, nec magis illis concessit, quam petebant, immo minus:

quia illi petierunt, ut ministri, qui a dominis recesserant, sine receptione stipendii post duos annos elapsos non possent petere illud: Rex autem noluit privare famulos actione petendi, nisi post tres annos elapsos. Procuratores Regni insuper petierunt a Rege, ut famuli, qui a dominis recesserant, non possent post mortem donorum petere debitum stipendium ab haeredibus. Hoc autem Rex non concessit, & merito: quia postea dominus aliquis statim post discessionem famuli mori, & tunc facile poterat sciri, an famulus sui servitii mercedem recepisset, an non. Et ideo Rex omnibus, videlicet dominis & famulis prospiciens, & cupiens illos omnes servare indemnes, tres annos concessit famulis, ut intra illos possent a dominis, aut eorum haeredibus, petere debitum sui famularum stipendium. Post illos tres annos negligenter a famulis praeteritos, concessit dominis & eorum haeredibus, ut famuli non possent ab illis petere stipendium ratione servitii promissum, quia petitio tamdiu protrahata, praesumitur esse fraudulenta. Sed non fecit dominos liberos ab obligatione debiti quam ante habebant, quia (ut dixi) nec ipsi domini hoc petierunt, nec si petissent, dignum fuisset, ut illis concederetur. Et hinc aperte convincitur errasse Hugonem de Cello in iudice illo, sive (ut vulgus vocat) repertorium legum Hispaniae, quod in lingua vulgaris Hispania edidit. Nam hic in titulo de Praescript. versu 17. prope finem, volens sub compendio & sub brevioribus verbis indicare hanc legem, de qua modo disputamus, dicit dominos praescribere contra famulos stipendium illis debitum, si illi a dominis recedentes, intra trium annorum spatium debitum non petierunt. Sed certe in hac parte ille nimium hallucinatus est, quia (ut dixi, & ex littera legis constat) domini solum praescribunt contra actionem famulorum, ne illi possent pro stipendio agere in judicio, non autem praescribunt contra debitum, ut domini post tres annos sic elapsos, cessent debere quod ante debebant. Nec talis praescriptio illis concedi poterat, quia injusta & canonico juri, cui in hac parte necessario obedire oportet, contraria. Nam in capitulo ultimo de Praescriptionibus, quod, ut ex illius inscriptione constat, in generali Concilio fuit conditum, definitur ut nulla valeat, absque bona fide praescriptio, tam canonica quam civilis. Quia talis (ut illic ostenditur) non possit sine peccato mortali fieri, & dicit esse generaliter derogandum omni constitutioni, atque consuetudini, quae absque peccato mortali non potest observari. Et hinc apertissime convincitur dominos, qui sciunt se non solvisse famulis suis stipendium, non posse praescribere contra illos, quamvis fuerint tres anni elapsi post discessum famulorum, & illi numquam in illis annis petierint stipendium. Quia in illis tribus annis si habent notitiam se retinere alienum, habent etiam malam fidem, & per consequens praescribere non possunt. Possessor enim male fidei (ut dicitur de Regulis juris, libro sexto) numquam praescribit. Ex hoc loco facile poterit lector intelligere, quantum referat legere indices, aut repertoria, an ipsas origines. Nam si ego illi repertorio legum Hispaniarum fuissem fuissem in hac lege, de qua nunc disputamus, fuissem circa illius intelligentiam deceptus, perinde ac illius repertorii auctor.

Ecce vides Lector, quot & quam manifesta exempla protuli, quibus apertissime convincitur hanc consequentiam nihil profusum valere. Ficus non potest capere bona a Petro: ergo Petrus non obligatur in conscientia illi reddere. Nam si consequentia illa esset bona & necessaria, ubique ex hoc quod est, non posse capere bona ad aliquo,



Quae omnia, ut melius intelligantur, oportet advertere, quod poena diverso modo respicit delictum, juxta diversam temporis in quibus delictum potest considerari. Nam potest considerari delictum antequam perpetraretur, & postquam est jam perpetratum. Si consideretur delictum antequam sit paratum, tunc poena statuitur, ut timore illius delicta evitentur. Et tunc poena omnes qui delinquere possunt, sine ullo discrimine respicit, & omnes ex aequo terret, nec tunc est unus qui punitur, & alius qui terretur. Quia cum crimen nondum sit commissum, nullus tunc puniri debet, ut ex illius punitione alii terrentur. Tunc enim hoc solum intendit lex, ut omnibus poena timorem incutiat, & sic omnes a delicti perpetratione deterreat. Si vero delictum consideretur postquam jam est commissum, tunc poena non statuitur, sed poena per legem decreta infligitur reo, aut virtute legis ipsius, aut per mandatam Judicis. Tunc poena diversis rationibus respicit ipsum delinquentem, & alios. Propter ipsum delinquentem infligitur illi poena, ut discat malum esse quod fecit. Quia nisi malum esset, non puniretur tali poena. *Veraxio siquidem* (ut *Blasius* ait cap. 28.) *sepe dat intellectum.* Et Salomon in Proverbiis cap. 19. hoc ipsum expressius docet. *Virga*, inquit ille, *atque correctio tribuit sapientiam.* Et ob hanc causam David (*Psalms*. 118.) bonas confesbat poenas a Deo illi propter suum peccatum inflatas, quia illis docentibus, didicit malum fuisse peccatum quod commiserat. *Bonum mihi*, ait ille, *quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Postquam jam peccator didicit malum esse quod fecerat, aliud adhuc illi praestat commodum, quia urget illum, ut recedat a malo, & emendet malum quod fecit. Quam haec poena infligitur reo, alii ex illa terrentur, ne simile crimen committant: quia timore poenae, quam vehementer horrent, & quam certo credunt sibi infligendam fore, si crimen simile commiserint, revocantur a perpetratione delicti. *Pesilente flagellato*, inquit Salomon (*Prov.* 19.) *multus sapientior fit.* Hanc poenae virtutem considerans Paulus (*1. Timoth.* 5.) Timotheum admonet, ut peccantes coram omnibus arguat, quatenus ceteri timorem habeant. Ecce quam multa, & quam iustae sunt rationes, propter quas poenae statuntur a legibus, & postea ab ipsismet, aut a Judicibus infligantur illis qui meruerunt illas. Et inde convincitur, nullius profus roboris esse argumentum illud quod contra nos ipsos objecimus. Si nulla alia ratione poena statueretur, nisi ad aliorum terrorem, ut in argumento assumitur, bene inde probaretur, poenam non obligare in foro conscientiae: quia cum id quod in foro illo agitur, sit secretum & non publicum, non potest alios terrere poena, quae in tali foro imponitur. Sed cum sint aliae rationes ab ista, propter quas poena imponitur, quae in foro secreto perinde ac in publico potestatem suam exercere possunt, constat inde, nullas esse illius argumenti vires.

CAPUT X.

Quod is qui ipso jure privatus est bonis suis, tenetur in conscientia sine alia Judicis sententia reddere bona sua illi cui ab ipso jure sunt adjudicata.

Orte aliquis hujus capituli titulum & solam superscriptionem legens & parum advertens, putabit idem esse hoc quod impraesentiarum tractandum promittitur, & illud quod in duobus proxime capitulis pertractatum est. Sed si bene adverterit, intelliget quaestionem istam esse valde diversam ab illa, de qua in duobus ultimis capitulis disputavi. In illis enim capitulis ad hunc solum scopum totam illam disputationem direxi, ut probarem omnem legem poenalem, quae sententiam continet, ab ipsa iustitia, obligare in conscientia illius transgressorem ad poenam in illa statutam, absque aliqua alia Judicis sententia. Quam assertionem ita universaliter prolatam, si ad particularia negotia applicare voluerimus, deducemus inde eum qui commisit crimen aliquod propter quod lex ipso facto imponit privationem bonorum, esse sine alia Judicis sententia eo ipso privatum dominio bonorum suorum. Ac cum nulla sit hujusmodi lex, quae privans aliquem dominio bonorum suorum, privet etiam illum ipso facto possessione bonorum suorum, aut praecipiat illi quod ipso facto illa reddat, constat quod ex illa generali assertione prius posita, nisi alia media illi addantur quae illam adjuvant, non protinus sequitur, illum, qui ipso jure privatus est dominio bonorum suorum, teneri ad reddendum bona sua illi, cui adjudicata sunt. Quia (ut dixi) nulla lex hoc ita faciendum esse praecipit. Nunc igitur hoc inquirendum est, an ex illa privatione domini, quae sine ullo Judicis ministerio est ab ipso jure reo inflata, necessario oriatur redditio eorundem bonorum, ita ut is, qui sic a lege privatus est dominio, non possit salva conscientia retinere bona illa, sed teneatur ea reddere illi, cui per legem adjudicata sunt. In illo opere, quod de iusta haereticorum punitione inscripsi, & anno 47. supra millesimum quingentesimum edidi, lib. 2. cap. 6. postquam juxta omnium fere Jurisperitorum sententiam dixi, haereticum ab ipsa hora, qua verus est constitutus haereticus, privatum esse dominio bonorum suorum, inde tanquam corollarium necessario consequens deduxi, illum ipso facto teneri ad reddendum bona sua sisco, cui ab ipsa lege sunt adjudicata. Sed haec mea sententia multis vitiis est nova & aspera, & credo illam magis suo rigore & asperitate, quam novitate illis displicuisse. Quapropter ego, qui illam teor, de illis qui propter solam illius asperitatem illam relinquunt, optime dicere possunt id, quod in persona Christi Salvatoris nostri Regius Propheta dixit: (*Psalms*. 30.) *Qui videbant me foris, susurrant a me.* Et certe sola illius sententiae asperitas non erat satis, ut illa relinqueretur: quoniam saepe asperiores sententiae sunt multo saniores aliis, quae magis blandiuntur. Et quia rem hanc diligentius & perspicacius considerans, illa sententia quantumlibet aspera, propter majorem, quam de illa nostram habui, multo magis mihi placuit, ideo quod tunc de solo haeretico dixeram, nunc de omni illo, qui ipso jure privatus est bonis suis, eandem sententiam dicere statui. Firmissime enim credo, omnem illum non posse salva conscientia retinere bona, quibus est privatus, sed obligari in conscientia, eo ipso quod illis privatus est, ad reddendum ea illi, cui legis decreto adjudicata sunt. Quam sententiam prius evidenter (ut Deo adiutore meo facturum confido) argumentis probabo, & deinde alios in mei favorem citabo, ne quis tam novam, & a patris desertam putet esse hanc sententiam, ut ego sim dicendus primus illius inventor: sed intelligat multos illam habuisse fautores, & antiquam esse illius originem. Quae autem contra hanc nostram sententiam objici posse intellexero, in proxime sequenti capitulo fideliter proferam, ut illis facile rejectis, & minime illorum robore detecto, clarius nostrae sententiae veritas omnibus innotescat: & sic quisque cogno libentius meatur, quo facilius id se efficere posse cognoscat. Sed antequam disputationem hanc aggrediar, ne postea illam forte a principio repetere oporteat, peto dari unam

unam sententiam mihi & illis communem, quam omnes, praeter unum Archidiaconum, fatentur, contra quem non est mihi nunc animus pugnare; propterea quod in secundo libro de iusta haereticorum punitione, cap. 6. jam satis contra illum pugnavi, & (ut multorum judicia ferunt) non solum pugnavi, sed aperte vici. Sententia quam mihi & adversariis communem dari peto, hoc verborum contextu exprimitur. Haereticus ab ea hora, qua factus est verus haereticus, ipso jure privatus est dominio bonorum suorum, quamvis ex tunc non sit privatus possessione illorum bonorum. Et idem profus dicendum erit de omni alio qui commisit quodvis aliud crimen, propter quod lex statuit privationem bonorum ipso jure infligi: quia eadem est in omnibus illis criminibus conditio. Nihil aliud ad hanc disputationem peto esse nunc mihi necessarium, neque de hoc oportet nunc disputare: quia inter me & omnes adversarios, praeter unum Archidiaconum (ut dixi) de illa sententia convenit. Hoc itaque facto fundamento, opus est, ut ad argumenta procedam.

Primo igitur argumentor, ut probem eum, qui jam a jure privatus est dominio bonorum suorum, teneri ad reddendum illa, quia nulla est lex, quae illi sic bonis suis privato concedat illorum bonorum possessionem: & inde convincitur, ut sic retinens, peccet, & per consequens teneatur illa reddere vero illorum domino, contra cuius voluntatem illa retinet. Consequentia ista probatur per regulam illam juris, quae ponitur in Clementina, *Exivi de paradyso*, §. Deinde cum duobus, sic dicens: *Ubi alicui generaliter prohibetur, quod expresse non conceditur, intelligitur denegari.* Ita juris regula praemissa, sic argumentor. Generaliter per legem divinam, quae ait: *Non furum facies*, prohibuit est omnibus retinere alienum, domino invito: ergo cui hoc non est expresse concessum, intelligitur denegari. Antecedens hujus argumentationis est notissimum ex recta legis divina intelligentia, & probatur etiam per illam regulam, quae habetur de regulis juris lib. 6. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quae sequuntur ex illo. Quam regulam interpretans glossa inter multa, quae ad illius declarationem profert exempla, unum est id, quod declarat hoc divinum praecceptum, de quo nunc agimus. Furto enim prohibito agit glossa, prohibetur omnis rei alienae illi usurpatio. Consequentia est etiam nota per regulam juris, quam proxime citavimus. At illi, qui est a jure suis bonis privatus, non est expresse concessum illa bona retinere: ergo necessario oportet intelligere hoc esse illi denegatum. Si est illi denegatum tenere bona, quae non sunt sua, sed sici: ergo in conscientia teneri illa reddere sisco. In illo opere, quod de iusta haereticorum punitione edidi, lib. 2. cap. 6. usus sum hoc argumento, quamvis non tam clare illius robur expressi, ut probarem haereticum esse in conscientia obligatum ad reddendum ad sicum bona, quibus est ipso jure privatus. Hoc argumento non obstant, aliqui docti viri in variis Hispaniae scholis Theologiae publice profiteutes (ut ab his, qui audierunt, mihi relatum est) hanc meam sententiam publice rejecerunt, & illi non esse ullatenus acquiescendum auditores suos docuerunt. Hos auditores ego interrogans, quo modo huic meae argumentationi illi respondissent, dixerunt nec ullam de hoc argumento habitam esse memoriam. Quae in re illos minime fideliter se habuisse constat: quia cum meam sententiam refererant, ne auditores sui gratis & sine causa me illam asseruisse intelligerent, dignum erat illis referre, quo argumento ad id dicendum fuisset persuasus. Non possum certe non mirari,

cur tam inique & tam indecore mecum agere voluerint, ut viri fortes, & ad palestra docti, quales ego illos esse censo, armati me inermem in campum citaverint, contra me pugnaturi. Nec fidelius aut equius erga discipulos suos se gesserunt, quia vi viros ludi magistris imitari voluissent, sicut discipulos docebant oppugnare adversarium, ita etiam docere oportebat, quo pacto ab adversariis telis se tueri deberent. Ego vero ne in id, quod damno & dreslor, crimen incidam, fidelius rem agere statui, & aequiorem me illis praebere decrevi, quam illi se exhibuerunt mihi. Nam ea, quae illi contra me objecerunt, diligenter hoc animo inquirivi, ut si talia essent, quae me ad mirandum sententiam cogere, statim id, quod prius dixeram, libentissime recantarem, tantum abest, ut sententiam meam obstinato animo tueri velim. Testis enim mihi est Deus, qui cor meum velut reliquorum omnium novit, quod non succubi hanc disputationem hoc animo, ut populorum inde gloriam captarem, sed ut veritatem, quae in tenebris latere mihi videbatur, producerem in lucem. Et ideo semper paratus fui ab incepta via pedem referre, si talia mihi ostenderentur argumenta, quae me cogere in aliam transire sententiam. At cum nullum tale aperitissime intelligerem, in priori sententia firmior permansi. Illa ergo omnia, quae mihi dictum est fuisse ab illis contra meam sententiam objecta, fidelissime postea in proxime sequenti capitulo referam, & alia insuper ego contra me ipsum objicam, quae illi non protulerunt. Adversarios meos nolo inermes, sed armatos ostendere, ut gloriosior mihi sit de hoste triumphus. Sed his omnibus omissis, opus est, ut ad argumentum, unde digressus sum, regrediar, & petam ab adversariis meis, ut proferant legem aliquam, quae illis, qui sunt suis bonis a jure privati, expresse concedat illorum bonorum retentionem, quousque fuerint de suo crimine damnati. Quam legem si mihi ostenderint, statim illis tanquam victoribus herbas porrigam, & palinodiam ex animo cantabo. Sed certo scio, illos talem legem, quae id expresse concedat, numquam inventuros: & inde necessarium est, ut aperte fateantur, illis, qui sunt a jure suis bonis privati, denegatum esse suorum bonorum retentionem; & per consequens illos esse in conscientia obligatos ad reddendum bona illa sisco, cui sunt ipso jure adjudicata. Sed huic argumento quidam respondent dicentes, illi, qui suis bonis est ipso jure privatus, esse hanc bonorum retentionem concessam in cap. Cum secundum leges, §. Confiscationis, de haereticis, lib. 6. ubi Papa prohibet siscum accipere bona haeretici, antequam ille sit per Judicem competentem de crimine haeresis damnatus. Ego tamen evidenter, Deo favente, probabo nihil tale, quale isti dicunt, per illud capitulum concedi. Et si nullam aliam apertiore textum pro hac re protulerint, inde convincetur aperte, illam bonorum retentionem non esse lege aliqua concessam illi, qui est a jure suis bonis privatus. Primo quidem, est gratis vellem dare adversariis hanc bonorum retentionem esse in illo capitulo concessam haereticis, non tamen inde sequitur esse etiam concessam omnibus aliis, qui propter sua delicta sunt ipso jure suis bonis privati. Nam textus ille de solo haeretico loquitur, & non de aliis criminibus. Quomodo ergo ostendent hanc bonorum retentionem esse aliis concessam? Si quis dicat ex similitudine rationis esse hanc legem ad omnia alia crimina extendendam, propter quae privatio bonorum est ipso jure inflata, licet hoc in aliis casibus fieri posse concederem, nulla tamen ratio patitur, ut hoc impraesentiarum fiat. Quia etiam lex propter identitatem rationis possit extendi ad



Quisquis illum sic asserentem audiret, iudicans illum hæreticum, falleretur. Quia etsi graviter peccaret, non faciens ore confessionem ad salutem, & ob hoc merito hæreticus ab Ecclesia censeretur; propterea quod illa non de occultis, sed solum de manifestis: tamen in veritate coram Deo, qui scrutatur corda, hæreticus non est. Quia hæresis non consistit in opere exteriori, sed in interiori mentis credulitate. At hæreticus, aut quisvis alius, qui commisit crimen, propter quod est ipso jure suis bonis privatus, non potest decipi circa se ipsum, quando res est crimen apertum. Nam ipse optime noscit semetipsum, & melius scit sine Judicis sententia se rem perpetrasse, quam alii scire possunt per Judicis sententiam, immo melius quam alii, qui illum talem rem fecisse viderunt. Quia ipse animum suum quo rem illam peregit, quem alii scire non possunt, optime novit. Ergo ut ipse delinquens suum delictum agnoscat, nulla indiget sententia. Potest tamen contingere, ut licet ipse sciat se rem illam perpetrasse, nesciat tamen, an tam male rem gesserit, ut sit merito condemnanda inter illa crimina, propter quæ privatio bonorum est ipso jure infligenda. Tunc enim (ut cap. 5. hujus 2. libri me dixisse memini) non teneretur reddere bona fisco, donec illi aut per Judicis sententiam, aut per doctrinam virorum peritorum, quibus merito credere teneatur, plene constiterit crimen à se commissum, esse ex illis, propter quæ est à jure privatio bonorum irrogata. Si profus ignorat rem ab eo gestam esse crimen, talis poterit accidere ignorantia, quæ illum excuset à pœna sicut à culpa. Si dubitat esse crimen, tunc tenetur consulere viros doctos, & postquam ab illis intellexerit se crimen commississe, cui est ipso jure privatio bonorum infligenda, tenebitur reddere bona fisco, cui sunt ab ipso jure adjudicata. Sed hic posset dubitatio non levis oriri, an ignorantia talem privationem bonorum esse ipso jure infligendam, propter aliquod crimen incidat in illam quam sciens commiserit illud. De hac tamen re quæ meo iudicio non est parum difficilis, nihil tunc dicam, propterea quod postea uno integro capitulo de hac re dicere statui. Opus est jam ut hoc argumentum, quod tam late protaximus, sub breviori compendio colligamus, ne per tam latum orationis fluxum argumenti vires defluant, & minuantur. Reus post datam à iudice sententiam crimen declarantem tenetur reddere bona sua fisco: ergo etiam tenetur illa eidem reddere ante talem sententiam datam. Assumptum est manifestum & ab adversariis concessum. Consequentiam sic apertissime proba. Quidquid sententia criminis declarativa operari potest circa ream, illud habet in se reus absque tali sententia: ergo eandem obligationem ad reddendum bona, habet ante talem sententiam, quam habet post illam datam. Consequentia ista ultima est notissima, quia si aliquam obligationem haberet reus post sententiam datam, quam non habebat ante illam, falsam esset quod in antecedente assumitur: reum in se habere absque tali sententia quidquid illa sententia criminis declarativa operari potest circa eum. Sed Assumptum illud sic probatur manifeste. Sententia illa criminis declarativa, nihil aliud operatur, nisi declarare crimen esse ab illo commissum, ut sic aliis constet illum incidisse in pœnam à jure infligendam. Nam ob hanc causam sententia illa dicitur solum criminis declarativa, & non condemnativa, quia per illam non condemnatur reus ad pœnam ad quam erat jam à jure damnatus, sed declaratur reum commississe illud crimen. Hoc autem ipse reus ante talem sententiam optime noverat: verum est ergo reum omne illud seclusa sententia criminis declarativa ha-

bere in se, quod illa sententia posset in illo operari: & inde apertissime convincitur, ut si post datam sententiam criminis declarativam tenetur reddere bona fisco, teneatur etiam illa reddere ante talem sententiam datam: aut si ante talem sententiam non tenetur, non teneatur etiam post illam, cum talis sententia nihil in ipso reo (ut dixi) faciat, quod sine ulla sententia non habeat. Hoc argumentum, nisi ego protinus desipio, non solum suadet, sed rem veram esse velut digito demonstrat: quoniam adeo convincitur ut nullam adversariis simulam relinquit qua elabi possint, quin statim comprehendantur.

Tertio principali argumento eandem conclusionem sic proba, & statuamus prius fisco per rei evidentiam, quæ nulla potest tergiversatione celari, scire Petrum commississe crimen, propter quod est ipso jure suis bonis privatus. Si fisco tunc ante sententiam criminis declarativam caperet à Petro, illo invito, bona illius, non teneretur illi restituere: ergo Petrus antequam fisco capiat, tenetur illi reddere. Consequentia est notissima, quia non potest esse, ut res quæ non sit pluribus communis, sed unus solum est illius particularis dominus, possit ab utroque duorum jure possideri altero illorum semper invito. Et hinc aperte convincitur necessarium esse, ut si Petro ante sententiam datam, jure retinet sua bona, & fisco qui Petro invito accepit, illa injuste possideat, & teneatur illi restituere: aut si fisco jure accepit, & non tenetur restituere Petro, necessarium est, ut Petrus qui invito fisco detinebat, injuste possideret, & sic teneretur reddere fisco. Oportet igitur alterum illorum injuste possidere, & teneri ad reddendum alteri, quum illo invito talia bona possideret. At fisco postquam bona Petri ante sententiam illo etiam invito accepit, jure illa possidet, nec tenetur illa Petro restituere: ergo Petrus ante talem sententiam injuste possidebat, & tenebatur illa reddere fisco. Antequam probem fisco jure possidere, declaro me hic non loqui de justitia completa, quæ caret omni vitio & peccato, sed solum de illa quæ caret obligatione restitutionis, quomodo dicitur meretricem jure possidere mercedem suæ prostitutionis: non quod in ipso contractu non peccet, sed quod non obligat ad restitutionem ejus quod sic accepit. Juxta hunc modum dico, fisco jure possidere bona per vim à Petro capta, quia licet sic accipiendo forte peccavit, non tamen tenetur ad restitutionem illorum, quamvis sic per vim accepit. Quod non tenetur ad restitutionem, probatur apertissime per legem, & quoque, ff. de Regalis juris, quæ sic ait: Quod à quoque pœnæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur. At bona quæ fisco exegit à Petro ob crimen ab illo commissum pœnæ nomine accepit: ergo fisco illa eidem restituere non cogitur: non video quid huic argumento responderi possit, nisi forte quis dicat legem illam, nunc proxime citatam, valere in foro contentioso, & non in foro conscientie: ita ut licet fisco non sit in foro contentioso cogendus, ad restituendum quod pœnæ nomine accepit, tamen in foro conscientie restituere cogatur. Sed juxta hunc modum etiam dicere oportebit illum §. Consecrationis, in cap. Cum secundum leges, obligare solum in foro contentioso, & non in foro conscientie, aut ostendat eum potius hæc lex quam illa obliget in foro conscientie. Philippus Decius in Commentariis suis, super titulum, ff. de Regalis juris, interpretans hanc prædictam legem. Quod à quoque, dicit illam non minoris potestatis & valoris esse pro foro conscientie quam foro contentioso, si id quod est pœnæ nomine exactum, fuerit delicto commensuratum. Et ibidem

dem suam illam priorem sententiam quam asseruerat in cap. Canonum, de Constitutionibus, repetit fere sub eisdem verbis, quibus tunc illam protulerat, dicens pœnam à lege statutam, si juxta illam sit, & non excedat delictum, deberi in foro conscientie. Sententiam Philippi Decii laudat & sequitur Joannes Ferrarius Montanus, qui in Commentariis quæ edidit super eundem titulum, ff. de Regalis juris, interpretans prædictam legem, ait: Sed quod aliqui regulam nostram in foro Pontificio (quem conscientie vocant) consistere non volunt, nisi me fallit, vero haud consonat. Nusquam enim invenio etiam sacris Canonibus expressum, quod pœna non debeat, tantum abesse, ut exacta repeti possit. Hæc ille. Si illa regula juris in foro conscientie, vim suam & potestatem (ut isti interpretantur) exercet, inde apertissime convincitur fisco non esse obligatum in conscientia ad reddendum Petro bona, quæ illo invito propter illius crimen accepit ab eo ante sententiam à iudice datam. Ex quo ulterius sequitur Petrum ante talem sententiam teneri ad reddendum illa fisco. Præterea ad majorem hujus argumenti confirmationem potest argui, per hoc quod licet sententia criminis declarativa sit necessaria ante apprehensionem bonorum, non tamen sic necessaria, ut si illa seclusa bona apprehendantur, talis apprehensio non valeat. Nam Innocentius qui summam inter juris canonicos interpretes, tenet auctoritatem, in cap. Ex ratione, de Appellationibus, dicit quod si executio pœnæ fieret sine sententia, valeret. Et hanc Innocentii sententiam laudat, & dicit eam esse memorie commendandam Baldus, qui in cap. 1. de Feudo sine culpa, non amittendo, hæc ait: Sed sine aliqua declaratione facta executio, non esset propterea juri contraria, per ea quæ notat Innocentius, de Appellationibus, cap. Ex ratione, ubi nota quod in mera executione nulla est necessaria cognitio, vel dilatio, quod dictum tenet menti. Hæc Baldus. Hæc autem tam illustrium virorum sententia, licet ab illis non probetur, probari tamen potest aperte per illum §. Consecrationis, in cap. Cum secundum leges, cui potissimum adversarii inniuntur ad probandum sententiam esse semper necessariam ante executionem. Nam in illo capitulo, licet Papa præcipiat, ut bona non apprehendantur ante iudicis sententiam crimen declarantem, non tamen dicit irritum esse & inane, si secus actum fuerit. Igitur cum Papa non apponat decretum, revocans factum, solum inde colligere licet fisco peccasse, propterea quod contra Ecclesie præceptum bona Petri illo invito ante iudicis sententiam accepit. Apprehensio autem, cum illam Papa non dicat esse inane & nullam, necessario erit firma & valida. Si illa apprehensio valet ante iudicis sententiam, quum alias de crimine constat, consequens est, ut fisco non teneatur restituere quod sic accepit: quoniam nihil profus illa apprehensio valeret, si fisco quod sic accepit restituere teneretur. Et hinc convincitur illam regulam juris ex titulo digestorum citatam valere, non solum in foro contentioso, sed etiam in foro conscientie, ut fisco quod pœnæ nomine accepit, restituere non cogatur, etiam si ante iudicis sententiam accepit. Quod talis bonorum acceptio, licet sit à jure prohibita, non tamen est ipso jure revocata, & tamquam nulla declarata, quod erat summe necessarium, ut talis bonorum apprehensio esset obnoxia restitutioni. Si fisco quod sic ante iudicis sententiam accepit à Petro illo invito, jure possidet, & non obligatur restituere illi: Petrus ergo antequam fisco apprehenderet, injuste contra fisci voluntatem possidebat. Quia (ut supra diximus) non est possibile, ut uterque illorum

altero invito, jure possideat. Si Petrus ante iudicis sententiam, injuste possidet bona illa: ergo ante talem sententiam, tenetur in conscientia reddere fisco. Quia non ob aliam causam injuste detinet, nisi quod possidet contra voluntatem fisci, qui ipso jure post crimen à Petro commissum est factus illorum dominus. Rursum, ad majorem hujus argumenti confirmationem ponamus fisco volentem per vim capere bona à Petro ante iudicis sententiam, & Petrum illi resistentem. Ecce bellum inter illos duos inceptum, quod necessarium est, ut sit ex altera parte injustum. Non est enim injustum ex parte fisci, injustitia quæ illum facit restitutioni addictum: ergo est injustum ex parte Petri. Simili argumento probat beatus Thomas in 2. 2. quæst. 69. art. 4. non licere ei qui iuste damnatus est ad mortem, se defendere ab illis qui mortem illi infligere nituntur. Si Petrus injuste illa bona ante iudicis sententiam tuetur: ergo ante talem iudicis sententiam tenetur illa reddere fisco, ut contra illius voluntatem illa non possideat.

Quarto principali argumento eandem priorem conclusionem proba: & ut apertius agam, pono prius (ut in proxime precedenti argumento feci) Petrum commississe crimen, propter quod est ipso jure suis bonis privatus, quod crimen fisco novit per rei evidentiam quæ nulla possit tergiversatione celari, sed caret testibus quibus illud in iudicio probare possit. Fisco tunc secreto potest capere ab hæretico quod poterit in recompensationem bonorum, quæ se invito ille tenet: ergo Petrus in conscientia tenetur illi reddere. Consequentia ista est nota, quia numquam licet propria auctoritate compensationem ab alio sumere, nisi quando alius vere aliquid retinet, quod reddere tenetur. Assumptum vero, ex quo tota hujus argumenti vis pendet, probatur per hoc, quod numquam aliquis propter defectum probationis amittit jus quod vere habet, ut dicitur in l. Duo sunt Titij, ff. de Testamentaria tutela. At communis est Theologorum & Jurisperitorum sententia, unumquemque posse sibi jus dicere: quando deficit sibi sui juris probatio. Nam glossa in cap. Jus gentium, in verbo, Sedium, distinctione prima, dicit hominem propria auctoritate posse capere rem suam ab alio detentam, quando illam per iudicem assequi non potest. Pro qua re citat primum & secundum capitulum 23. quæstione secunda. In quibus locis id solum dicitur, bella posse jure geri, & inde deductur id quod glossa dixit. Quia nisi homo posset iudice deficiente capere propria auctoritate quod est suum, non posset bellum geri, cum hac sola ratione bellum geri possit, quod deficit iudex, qui compensationem damni, aut injuriæ reddere possit. Citat etiam legem, Ait prætor, §. Si debitorem, ff. Quæ in fraudem creditoris, ubi qui fugientem debitorem propter iudicis defectum, capit decernitur non esse puniendus, Guilielmus Altissiodorensis in sua Summa Theologie, in tractatu de Restitutione, quæst. 6. dicit hominem posse propria auctoritate capere ab alio quod suum est, quando sine scandalo facere potest, & deest iudex cuius auctoritate id facere possit. Ob hanc causam Alexander de Ales, quarta parte, quæst. 86. membro secundo, dicit filios Israel, licet Deus hoc illis non præcepisset, potuisse capere ab Ægyptiis spolia quæ ab illis acceperunt. Quia poterunt compensationem sumere pro servitio quo servierunt in luto & latere. Hac eadem ratione motus Petrus à Palude in 4. Sentent. dist. 35. quæst. 1. art. 4. dicit conjugem innocentem certum de adulterio alterius si non potest probare adulterium, posse repellere ad alterum à thoro:



quia ( ut inquit ) defectus probationis non est ex culpa sua. Et dat exemplum de eo qui debitorem fugientem accipit, & de illo qui furatus est mihi centum, & non possum probare, a quo dicit me non solum posse tantumdem retinere de suo, sed etiam occulte accipere. Dicit enim quod quando iudicis copia haberi non potest, aut propter defectum iudicis, aut adversam, quam forte ob illius potentiam timet, & ob hoc non audeat illum ad iudicium vocare, aut aliter sine culpa sua aliquis non potest iudicium, & iustitiam impetrare, ille potest sibi jus dicere. Alias omnia bella ( ut inquit ille ) essent injusta. Ob eandem rationem Adrianus in quodlibeto sexto, art. 1. generaliter dicit licere homini propria auctoritate rem suam, vel aequivalentem dum sine scandalo, & sine turbatione fieri poterit, recuperare. Quia jus humanum ( ut inquit ) hoc prohibet ne sequatur turbatio, aut scandalum, & inde deducit, quod si bene prospectum fuerit scandalo, nihil illicitum sit, cum quis rem suam propria auctoritate capiat. Et, quod magis norandum est, dicit, quod licet cum scandalo, & per vim rem suam accepisset, quamvis peccaret, non tamen teneretur in foro spirituali acceptum restituere. Et probat, quia l. Si quis in tantam, C. Unde vi. Et l. Extat, ff. Quod metus causa, & cap. Placuit 16. quaest. 6. & cetera huiusmodi humana iura non privant hominem ipso facto, dominio, sed decernunt privandum esse, ut notat glossa in dicta lege, Si quis in tantam, in verbo, Amittat, ubi dicit quod per sententiam, & non ipso iure. Denique Joannes Medina in suo Codice de Restitutione, sive de Contractibus, quaestione undecima, multo latius, & exactius de hac re differit, & tandem istorum omnium sententiam subscribit. Ex quo loco ego aperte convinco illam secum pugnare, & quae minime cohaerere possunt, in diversis huius operis non citati locis asserere. Et ne quis illi nimium affectus parum fortassis mihi fidat in illius sententiis citandis, putans me falso hanc illi inurere notam, statui verba illius nec uno mutato citare, ut Lector videat me fideliter citasse, & inde intelligat illum secum pugnancia dixisse. Nam in quaestione prima totius operis differens de rerum divisione, circa finem ejusdem quaestionis, ubi tractat de translatione domini, postquam dixerat illam ex sola legis auctoritate fieri posse, & de hoc aliqua referens exempla, haec quae sequuntur, ait: Similiter idem apparet quando lex hominem ob culpam suam rebus suis ipso facto privat. Ut si incidat quis in haeresim, aut crimen laesae majestatis committat: nam ob hanc causam rerum suarum dominium ex legum voluntate perdit, & fisco applicatur, ut habetur in capitulo, Cum secundum leges, de Haereticis, lib. 6. Aut etiam si quis cadat in commissum, puta in agro vectigali, ipso vectigali non soluto. Aut si quis occultavit merces, quarum vectigal erat solvendum, quia ipso facto rerum illarum dominium perdunt, & acquiritur fisco: etiam si in his casibus res huiusmodi licite retineri possint ante sententiam declarativam, sine qua sententia res huiusmodi possessoribus auferri non possunt. Haec Joannes Medina, ubi supra. Sed cum hac sententia adeo pugnant ea quae in duobus aliis locis ejusdem operis asserit, ut nullo pacto in concordiam redigi possint. Nam in quaestione vigesima secunda, differens de acquisitis in ludo alearum, & asserens contra Adrianum, quod is qui in ludo perdit, non potest propria auctoritate compensationem pro re perditam surripere a lucrante, haec quae sequuntur, ait: In penis quae alicui certae personae per legem ipso facto, aut ipso iure

etiam sine iudicis sententia applicantur, crederem compensationem locum esse, sive sit poena conventionalis, sive legalis. Ubi tamen poena huiusmodi non sic alicui certae personae, ipso facto applicatur nisi praemissa partis repetitione, & iudicis sententia interveniente, tunc sicut poena antequam repetatur illi non debetur, ita nec locum habet compensatio in conscientia. Haec ille. Ex quibus verbis sequitur apertissime fisco posse salva conscientia, compensationem propria auctoritate sumere ab haeretico, aut ab eo qui crimen laesae majestatis commisit: quia poenae istorum criminum sunt per legem ipso facto, & ipso iure, sine iudicis sententia applicatae fisco. Nam ( ut ipsemet Joannes Med. in verbis suis, quae primo citavimus, dixit ) propter ista crimina bonorum dominium, per solam legem sine iudicis sententia esse ipso iure translatum in fisco. In illa enim prima quaestione, art. ult. differens, quo pacto ab uno in alium transferatur dominium, dicit tribus modis id fieri posse, aut sola legis auctoritate, aut sola voluntate iudicis sententiam ferentis, aut ex voluntate ipsius possessoris. De primo modo qui fit sola legis auctoritate proposuit in exemplum illa crimina quae retulimus propter quae, ut ille confessus est, fisco statim sine ulla iudicis sententia acquisivit dominium bonorum, quae illi, cum crimen commiserunt, possidebant. Fisco ergo, juxta hujus Doctoris sententiam, quae in verbis secundo loco citatis explicatur, poterit propria auctoritate ab illis delinquentibus capere secreto compensationem, quando illam a iudice impetrare non possit, prout contingit in casu nostrae argumentationis. Sed hoc non haeret cum eo quod ait in quaest. undecima, ejusdem operis, ubi differit de rebus per creditorem in recompensam debiti ablatis. Nam illo loco juxta beati Bernardi sententiam, quam ille sequitur, enumerans conditiones quas ad justam compensationem faciendam dicit esse necessario requisitas, haec quae sequuntur, ait: Prima conditio est, quod debitum suum sit liquidum, & non dubium, alioquin peccaret propria auctoritate volens satisfacere. Haec ille. Ex quibus evidentissime sequitur haereticum, aut eum qui crimen laesae majestatis commisit, debere & non obsecrare, sed clara & aperte bona sua fisco: quoniam ( ut nunc proxime ille dixit ) nisi debitum esset liquidum non posset licite pro illo compensationem sumere. Et quamvis ille non dixisset, manifeste probari poterat per l. Debitor, ff. de Verborum significatione, cujus haec sunt verba. Debitor intelligitur is a quo invito exigi pecunia potest. Sed ab eo qui commisit crimen propter quod est ipso iure bonis suis privatus, potest fisco illo invito exigere bona illius: ergo ille qui crimen commisit, est debitor fisco. Si debet bona sua fisco etiam ante iudicis sententiam: ergo ante illam sententiam tenetur illa fisco reddere. Quia nisi quis debitum reddat, dum id facere potest, non potest salva conscientia consistere, quia Paulus ait: ( Rom. 13. ) Reddite omnibus debita. Et iterum: Nemini quidquam debeatis. Tenetur ergo nemini quidquam debere: sed qui debitor est alicujus, non potest se a debito illo liberare, nisi solvendo illi debitum, aut obtinendo remissionem debiti ab illo. Igitur haereticus, aut qui crimen laesae majestatis commisit, ut se a debito liberet, tenetur bona olim sua fisco reddere, nisi remissionem ab illo impetraverit. Et certe ipsum debiti nomen obligationem quamdam manifestat: quia nisi quis obligatus sit ad reddendum, numquam debere diceretur. Quid enim homo debere potest alteri, si nihil est illi reddere obligatus? Hoc argumentum adeo mihi videtur adversarium, praesertim Joannem Medinam ut-

ge-

gere, & confringere, ut ingenue fatear me necire quo pacto se possit ab illo tueri.

Quinto principali argumento eandem principalem conclusionem sic proba. Omnis qui iuste possidet rem aliquam, possidet illam uno ex his quatuor modis, aut legis auctoritate, aut iudicis mandato, aut titulo proprii domini veri, vel iuste praesumpti, aut nomine alterius qui dominium verum, vel iuste praesumptum habet in re illa, haereticus nullo istorum modorum possidet bona olim sua: ergo haereticus iniuste possidet illa. Consequencia ista est evidens, quia est syllogismus optime ordinatus in tertia figura in modo notissimo, qui dicitur Baroco. Major propositio quae sumitur in antecedente, etiam est manifestari a sufficienti partium enumeratione: quia non potest dari alius modus per quem res aliqua iuste possidere possit. Legis iustae auctoritate res possidetur iuste, quia lex iusta sicut potest dare dominium, ita etiam possessionem, ut aperte convincitur per l. Raptores, C. de Episcop. & Cler. & per l. ultim. C. de sacrosanct. Eccl. & per leg. Regni Castellae, quae Taurense dicuntur, ubi lege 45. praecipitur, ut mortuo possessore alicujus primogeniturae eo ipso sine aliqua iudicis sententia, dominium & possessio ejusdem primogeniturae, transferatur ad illum qui ex institutione illius primogeniturae, debet succedere defuncto. Auctoritate iudicis res iuste possidetur, quando iudex auferens illam ab iniusto possessore, tradit eam illi cui iure debetur: aut quando ratione depositi illam tradit alicui. Auctoritas proprii domini ad justam possessionem est adeo manifesta, ut non eget probatione. Sed quod in auctoritate illa dixi esse satis, si dominium esset iuste praesumptum, quamvis non esset verum, propter illos dixi, qui bona fide rem aliquam possident putantes suam, quae tamen sua non est. Hi enim iuste possident, non tamen auctoritate veri domini, quia illud non habent: sed auctoritate & titulo domini, quod merito putat se habere. Hoc enim contingit in haerede, qui adiens hereditatem, invenit in ea aliquid quod est alienum, & capit illud, putans ad hereditatem pertinere. Et idem contingit in eo qui bona fide emit aliquid a iure, existimans illum esse dominum rei venditae. Nominem alterius iuste possidet rem aliquam, is cui verus, aut iuste existimatus dominus eam locavit, aut mutuo, aut pignoris loco dedit. Sic igitur illa majori propositione declarata constat illam esse verissimam: quia non est alius modus, quo iuste res aliqua possideri possit. Quod autem haereticus, aut quicumque alius suis bonis a iure privatus, nullo istorum modorum ante sui criminis declarationem, bona illa possideat, facile probatur. Non enim possidet titulo veri domini, aut praesumpti, quia ille non habet jam bonorum illorum verum dominium, sed fisco, prout adversarii fatentur: nec habet dominium iuste praesumptum: quia ( ut suppono ) ille scit se esse suis bonis a iure privatum. Deinde, non possidet nomine, aut auctoritate veri domini: quia fisco qui est verus istorum dominus, non concessit reo, ut illa bona suo nomine retineret. Nec etiam possidet auctoritate, aut mandato iudicis: quia nullo iudex habens recte exploratum crimen illius, nisi iniuste iudicare veller, concederet reo bonorum illorum possessionem, immo potius e contrario auferret ab illo, & traderet fisco, quem scit esse verum istorum dominum. Denique non possidet auctoritate legis: quia ( ut in primo argumento probavimus ) nulla est lex quae reo ipso iure suis bonis privato, concedat istorum bonorum possessionem, quousque sit de suo crimine per iudicem competentem damnatus. Ex quibus

omnibus apertissime convincitur illum iniuste talia bona possidere: quia nullo istorum modorum illa possidet. Et potest haec argumentatio robustissime confirmari, per hoc quod nullum est nomen quo haec bonorum possessio, si iusta censeretur, merito appellari possit. Nam omnis rei alienae, & cum noticia rei alienae iusta possessio, aut dicitur depositum, aut locatum, aut mutuum, aut pignoris retentio, aut secretum, aut iusta pro re propria compensatio. Nec est aliud nomen quo alienae rei possessio, & cum noticia alieni possit iusta censeretur. At possessio illa est rei alienae, quod ipsi adversarii fatentur: & est cum noticia rei alienae, quia suppono illum optime scire se propter suum crimen esse ipso iure privatum dominio bonorum. Possessio autem illa non potest dici depositum, nec locatum, nec mutuum, nec precarium, nec retentio pignoris sibi dati, nec iusta compensatio pro re sibi alias debita, quia suppono fisco nihil post crimen a reo commissum debere illi: ergo possessio illa non potest dici iusta. Iniusta enim necessario dicenda est, quae nullo iustae possessionis nomine censeretur potest, nisi forte velis dare medium inter iustam, & iniustam possessionem: quod nulla recta ratio permittit. Quod autem possessio illa non possit aliquo illorum nominum appellari, inde convincitur quod secretum, aut depositum semper fit mandato iudicis, aut domini quorum neutrum est hic. Locatum autem, aut commodatum, aut precarium, aut mutuum, aut pignoris retentio, semper fit per traditionem a domino, aut ab alio nomine illius factam. At reus qui ipso iure est suis bonis privatus, non possidet illa bona ante sui criminis condemnationem illorum factam a fisco, qui est verus istorum dominus. Ergo talis possessio non potest aliquo illorum nominum censeretur: & per consequens non est iusta.

Praeter haec quinque argumenta quae ex meo matre prodierunt, alia possem referre argumenta, sed quia debiliora sunt, omittenda esse censui. Solum hic citare volo argumentum, quo Abbas hanc sententiam probare se credidit, cum tamen nihil minus fecerit. Ille enim ( ut mox dicemus ) hanc quam ego tueor sententiam docet, & ut illam convincat esse veram, hoc argumento pugnat. In huiusmodi criminibus jus est acquisitum fisco, & poena ipso facto commissi exigitur ab haerede, licet alias haeres non teneatur ex delicto defuncti. C. Ne ex delictis defunctorum, per totum. Haec ille. Hoc argumentum dissolvit Philippus Decius in cap. Canonum, de Constitutionibus, numero 20. Sed quam bene id fecerit, non est mihi animus nunc discutere. Satis enim mihi esse arbitror, si ostendero illius argumenti impotentiam, & illi aliter quam Philippus Decius fecit, posse melius responderi. Fateri quidem possit is qui contrariam tueretur opinionem, poenam exigi posse ab haerede propter crimen defuncti, quando ille ipso iure incidat in poenam. Nam pro hac re est textus expressus in cap. Accusatus, §. In eo vero casu, de Haereticis, lib. 6. ubi praecipitur, ut ab haereticis haereticis, qui morte interveniente, non fuerat de crimine damnatus, possint bona illius post mortem ejusdem capi. Sed per haec non probatur, quod haereticus dum viveret ante condemnationem obligaretur in conscientia bona sua reddere fisco. Si probaret Abbas haereses ante condemnationem defuncti, esse obligatos in conscientia ad reddendum fisco bona quae defunctus possidebat, optime inde colligere posset defunctum ante sententiam sui criminis declaratoriam fuisse obligatum ad reddendum bona sua fisco. Quia haereses succedunt in locum defuncti, & non possunt ratione hereditatis obligari ad reddendum aliquid, nisi defunct-

func-